



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sect. VI. De conseruatione effectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

SECTIO VI.

De conseruatione effectus.

IN hac quæstione ego vix nouam inuenio difficultatem. Quod enim de primâ productione dicitur, hoc de conseruatione dicendum censetur; est enim conseruatio, continuata productio, solumque differt per denominationem quamdam extrinsecam. Prima enim productio supponit immediatè antè termini carentiam; secunda verò productio seu conseruatio dicitur immediatè antè extitisse rem illam, quod in ipsâ existentia & duratione rei productæ eodem modo dicendum est. Quia tamen nonnulli in re facili obscuritatem quaerunt, & vt dicitur, nodum in scirpo, libet rem hanc paulò fusiùs discutere.

SUBSECTIO PRIMA.

Sententia asserens, res aliquas à se ipsis inadæquatè conseruari.

LESSIUS de Perfectionibus diuinis lib. 10. c. 4. Lætito nomine quosdam refert, qui arbitrantur, res aliquas minori concursu indigere vt conseruentur, quàm vt producantur. Distinguunt autem hi tria genera entium. Primi generis dicunt esse ita imperfecta, vt non possint connaturaliter conseruari, nisi ab iisdem causis à quibus productæ sunt, & æquè forti influxu: eiusmodi est lumen, species intentionales, actus intellectus, &c. Secundi generis sunt, quæ à Deo simul & creaturâ producuntur primò, conseruantur verò à solo Deo, vt calor, color, formæ substantiales. Tertiij generis, quæ à solo Deo conseruantur & producuntur. Hæc duo vltima genera rerum docent hi à Deo conseruari minori influxu, quàm primò producuntur; vel quia loco causæ secundæ nullum de nouo addit concursum in secundis, vel quia in tertijs minorem Deus exhibet conatum in conseruatione quàm in productione: solus enim concursus generalis Dei, quem præstat etiam quando concurrat cum creaturis, sufficit ad eas conseruandas; qui quidem concursus est ex se indifferens, & non magis respicit hunc effectum quàm illum, sicut, inquit, eleuatio follium in organo non magis causat hunc sonum, quàm illum.

Hanc sententiam ibi fusè & eruditè valdè refutat P. Lessius. Ego proponam primò aduersa argumenta, & maiori ex parte contra ipsos retorquebo; deinde efficaciter sententiam istam reiciam, ne alicui nouus hic modus dicendi ardeat.

Primò ergo arguunt: Quia causæ secundæ cum concursu solo generali Dei possunt aliquid producere, ergo & poterunt se conseruare cum solo eodem concursu. Mirabile argumentum! ac si quis diceret, Cum concursu generali Dei ignis primò producat alium ignem, ergo & poterit etiam se ipsum primò producere. Consequentia est ipsissima horum Auctorum: consequens autem ab eis meritò negatur. Sic vrgeo Secundo, Etiam in illis rebus, quæ non possunt se ex horum sententiâ conseruare (lux v. g. species impressa) cum concursu generali Dei pos-

sunt aliquid producere, ergo & hæc poterunt se conseruare cum eodem concursu. Ecce formam tui argumenti. Cui absolute respondeo, nihil posse esse prius se ipso, & consequenter non posse se nec causare nec conseruare, etiam inadæquatè, quia etiam in instanti conseruationis debet esse prior naturâ causa conseruans, vt fusiùs Subsectione 3. At respectu alterius potest creatura esse prior: & non solum cum concursu generali, sed etiam sine illo, ex hoc capite posset alteram producere, vt docuit Durandus; quæ sententia, licet aliunde falsa, non tamen hinc: ac nullus dicit, creaturam posse se adæquatè conseruare.

Secunda ratio horum sit: Quia si aliqua res non se conseruaret inadæquatè, non esset ratio vlla, cur esset miraculum, lucem sine sole conseruari, non verò calorem sine igne: quod hi putant à se pulchrè explicari, eò quod calor se inadæquatè conseruare potest, species autem & lux non ita. Quod si conseruantur absente sole & obiecto, debet necessariò fieri per concursum supernaturalem. Sed in primis, quæso, dicant mihi hi, cur, quandoquidem saltem in primâ productione nihil potest se nec inadæquatè producere, & non est ibi hæc differentia; cur, inquam, si Deus solus producat Angelum, nullum est miraculum, esset verò si Deus solus produceret lucem, aut species albedinis? Si responderint, reuocandum id esse in proprias naturas (anima enim & Angelus à solo Deo petunt oriri, ideo sine miraculo oriuntur; lux autem petit oriri à sole, ideo à Deo solo miraculosè oritur) si hoc, inquam, responderint, respondebunt valdè benè; monendi verò erunt, vt id ipsum, mutato termino *prima productionis in conseruationem*, propriæ obiectioni respondeant, dicantque, ideo lucem miraculosè conseruari à solo Deo, quia exigit conseruari etiam à sole, calorem verò sine miraculo conseruari sine igne, quia non petit ignem, sed Deum supplementem defectum ignis in conseruatione. quid facilius & clarius? Quod si adhuc hi velint habere instantiam ex ipsâ conseruatione, præterquam quod otiosum & superfluum aliquid petant, ne tamen vllam eis demus occasionem putandi sibi non satisfieri; ecce, da lucem conseruari à lapide loco solis, certè tunc ea conseruatio est miraculosa, non quia non conseruetur à duabus causis, vnâ creatâ & aliâ increatâ, sicut producta fuit, sed quia non petit has, sed alias, ideo miraculosè conseruatur: neque hic recurritur ad illam impotentiam se conseruandi, sine quâ hi putant nihil boni dici posse. Ita etiam dico, non recurrendo ad eam impotentiam, calorem à solo Deo conseruari naturaliter, cum maiori tamen influxu ex parte Dei, quàm ab ipso fuerat productus; exigit enim id naturâ suâ. quid ergo hic inadæquata conseruatio sui ipsius?

Tertiò arguunt: Si res permanentes non se conseruant, ergo Deus speciali concursu conseruat habitus vitiosos, quod est absurdum. Facile responderet quis, negando sequelam; posset enim dici, eos conseruari ab ipsâ potentia. Sed hoc omisso, admitto sequelam. quid inde? Sicut enim Deus concurrat ad ipsum peccatum, & quidem eo concursu indiuisibili quo creatura, vt alibi ex omnium ferè sententiâ ostendi (neque

id est vllum inconueniens, eò quòd id facit ad exigentiam ipsiusmet creaturae, & ab eà determinatus) multò minùs repugnabit, vt ad exigentiam ipsius habitus petentis conseruari, Deus eum conseruet, præterim cum in se non sit qualitas formaliter mala. Vnde & infundi posse à solo Deo, docui in libris de Animâ: quod in errore minorem habet difficultatem, vt dixi in materiâ de Fide, eò quòd non sit malus moraliter vllò modo, sed solum physicè.

81 Obiiciunt Quarto: Si res non habent vires se conseruandi, tota duratio rerum debet in voluntatem Dei refundi, non in naturam rerum conditionem. Respondeo, rogando hos Auctores, vnde proueniat, quòd aliqua res se possent conseruare, alia verò non. Meritò responderunt, ex naturâ ipsarum. Sic ego dico, ex naturâ ipsarum prouenire, vt vna exigat absente causâ secundâ conseruari à Deo, loco illius, alia verò necessariò à causâ secundâ dependeat. Iam quomodo hic ad solam Dei voluntatem recurritur?

82 Obiiciunt Quintò, ex eo quòd, absente causâ secundâ, aliqua res conseruentur, rectè à nobis inferri, eas habere vim se conseruandi, alioquin tota Philosophia euerteretur. Quomodo enim probabitur, ignem habere vim calefactiuam, nisi quia ipso præsentem calor producit? alioquin diceret quis, ad præsentiam ignis produci calorem à solo Deo. Hoc argumentum est ceteris adhuc debilius: nam Philosophus non solum debet pro illationibus habere oculos, sed intellectum abstrahentem à rebus visibilibus. Certè dependentiam creaturarum à Deo in omnibus effectibus, non deprehendimus oculis ipsis, contra Durandum, sed discursu aliunde petito eam inferimus: imò nec dependentiam terræ à Deo, etiam eam inadæquatam, quam hi ponunt. Dico ergo, rationem naturalem (de quâ statim) probare euidenter, nihil se nec inadæquatè posse conseruare, idèò, etiam si ablato igne maneat calor, nullus intulit. Ergo calor se conseruat. At quia in eo quòd ignis calorem producat, nulla est repugnantia, sed potiùs conuenientia, benè inferimus, ignem esse productiuum caloris. Quòd si aliqua esset repugnantia, certè etiam si posito igne produceretur calor, non diceremus eum ab igne prodire: sicut, licet positis dispositionibus ad formam muris, in terrâ produceretur illa forma, quia tamen aliunde repugnat eam à terrâ produci, aliam quærimus causam. Et vt instantiam omni replicâ maiorem ponam, animus rationalis producit dispositâ iam materiâ per semen, &c. & tamen non dicimus, Ergo semen aut mater eam producit, quia aliunde corrigitur hæc consequentia. Cur ergo non patientur hi corrigi eam de conseruatione, cum clarius sit lumine naturæ, nihil se nec inadæquatè posse causare aut conseruare, quàm animam non produci saltem inadæquatè à parente. Nec de euerfione Philosophiæ timeant, stetit enim hucusque, & stabit sine hac vi se conseruandi: damus enim nos nobiliorem conseruatorem, scilicet Deum.

83 Obiiciunt Sextò: Si Deus conseruat calorem, ergo semper hic durabit, quia Deus semper habebit vires eum conseruandi. Huic argumento facile respondeo negando sequelam: ostendo enim fusè in materiâ de duratione & Angelis, sæpè posse aliquam rem causis eodem modo se

habentibus, durare per aliquod tempus, non tamen semper. Vnde non placent, qui huic objectioni concedunt sequelam, quando scilicet non est contrarium aliquod petens destructionem talis rei, quod verum non esse, eo loci ostendi. Adde tamen, saltem in rebus habentibus contrarium, non habere vim eam illationem, quia contrarium adueniens, petit ne à Deo res illa conseruetur hæc & nunc. Sed age, ostendamus iam eandem esse difficultatem in sententiâ arguentis. Cum enim virtus se conseruandi in calore non sit distincta ab ipsius essentiâ, & hæc sit eadem hodie ac heri; cur, sicut ab hesterno die potuit se conseruare in hodiernum, non poterit ab hodierno in crastinum, & sic in æternum? Certè in defectum existentie causæ non potes id reuocare, quia Deus, qui est inadæquata causa, semper manet; ipse autem calor, qui est alia inadæquata causa, semper hucusque extitit; ergo poterit se vltiùs causare seu conseruare, sicut se potuit hucusque.

Quòd si dicas, Non potest cras, quia non existet cras; Benè: ergo dicis, non existet, quia non poterit se causare; & non poterit se causare, quia non existet, qui est manifestus circulus.

Nec ad diminutionem virium potest recurri, quia vires & eius essentia, vt dixi, sunt idem; essentia autem non est diminuta, ergo sicut habuit vires in instanti A. pro instanti A, ita in instanti B. pro B, & sic de aliis: quæ consecutio, licet fortè in meis principiis non sit bona, est tamen in aduersariorum, iudicantium, idem manens idem, semper esse natum facere idem.

Obiiciunt Septimò: Cuiuslibet rei inest appetitus ad sui conseruationem, & ad resistendum contrariis: atqui appetitum hunc sequitur aliqua potentia, ergo res habent potentiam se conseruandi. Fateor, vix à me percipi vim argumenti: eum enim isti vim hanc conseruatiuam non omnibus rebus tribuunt, vt vidimus, quomodo iam ponunt propositionem vniuersalem, extendentem se ad omnes res, *cuiuslibet rei inest appetitus*, &c. quis hæc combinabit? Adde, etiam si res petat sui conseruationem, non propterea eam oriri à se ipsâ; imò si oriri deberet à se ipsâ, non illam peteret, quia nemo à se quidquam petit, sed ab alio: ergo ex appetitu non inferitur vis effectiua, sed, rem illam esse sibi connaturalem, & bonum ipsius, à quocumque ipsi conseruatur.

Obiiciunt Octauò: Facilius est rem conseruari 85 quàm primò produci, ergo minor influxus requiritur ad conseruationem, quàm ad primam productionem. Respondeo, Antecedens esse verum, quando sunt agentia contraria quæ productionem primam impediunt, postea verò cessant; aut respectu nostri, non enim semper pinguis imaginem semel absolutam. De cetero, sicut non est minoris laboris, tenere secundò in aère pondus quàm primò, ita in re non est minus conseruare, quàm producere.

Obiicies Nonò: Ad perfectum artificem spectat, 86 facere opus quod postea non egeat nouo labore vt conseruetur; ergo ad Deum spectabit facere creaturas, quæ semel existentes, se possint conseruare; dedecere enim videtur etiam Deum, supplere omnium causarum vices. Respondeo, in creatis id non arguere perfectionem, sed independentiam effectus ab artifice. Deinde, in artifice

De Causâ efficiente in communibus causalitate. SECTIO VI. 377

fecerit esse vires ad conseruandum antiquum influxum, & ad nouum in alia opera exhibendum: Deus autem, quia est supremus Dominus, & infinitè potens, nec defatigatur conseruando, nec potest non omnia suis manibus tenere. alioquin hæc obiectio nec inadæquatum Deo influum tribueret, quia artifex creatus nec inadæquarè conseruat picturam. Et hinc patet, non dedecere, sed conuenientissimum esse Deo, & teneri, vt auctorem naturæ, ad supplendos defectus causarum secundarum.

87 Obiectis vltimò: Deus dicitur Genes. 2. requiescere ab vniuerso opere quod patrarat, ergo quia non ita laborat conseruando, quàm producendo. Respondeo, si idem Deus dictus fuisset requiescere, certè qualibet die requieuit ab opere quod eâ die patrarat, non enim illud iam amplius tam vehementi influxu conseruabat, in tuis principiis; hoc autem nec vel leuiter ibi insinuat. Absolutè ergo dico, ibi *requiescere* non denotare nisi cessationem à nouarum specierum productione, non verò à conseruatione antiquarum; quæ est explicatio Augustini 4. de Genesi ad litteram cap. 12.

SUBSECTIO SECVNDA.

Contraria sententia auctoritate stabilita.

88 CONTRARIA ergo sententia, asserens conseruationem esse ipsam continuationem actionem, quando eadem causæ manent; vel quando vna deest, alteram causam debere eius defectum supplere, est ita communis inter Scholasticos, vt, quod sciam, à nullo (præterquam vno, qui adhuc suam typis non mandauit, licet in aliis Operibus impressis eam insinuauerit) arbitrer non solum non negatam, sed nec quidem in dubium vocatam. Eos bene citat Lessius eo cap. 4. à num. 30. Certè D. Thomas 1. p. q. 104. a. 2. ad 2. expressis verbis docet, nulli rei posse tribui vt sit conseruatiua sui, sicut nec vt sit productiua; bene tamen vt sit conseruatiua & productiua alterius. vbi etiam inadæquatam negat conseruationem sui; negat enim quam potest habere erga alia entia, atqui erga alia solum potest habere inadæquatam, ergo. Idem art. 1. ad 4. & Caiet. a. 2. expressè docent, eandem esse actionem conseruatiuam & primò productiuam. Durandus in 2. dist. 1. q. 2. asserens exemplum Filij diuini qui semper generatur, docet, mundum semper in re creari, etiam si id à nobis vulgariter non dicatur. Gregorius in 1. dist. 45. q. 1. a. 1. conclus. 3. vbi Augustini & Anselmi testimoniis id ipsum confirmat. Scotus in 2. dist. 1. q. 5. Vasquez 1. p. disp. 72. num. 11. Molina 1. p. q. 10. a. 5. disp. 1. & Suarez fusè in Metaph. disp. 21. per totam, numero autem 10. sect. 1. dicit in hac re non esse inter Theologos varietatem vllam sententiarum, numero verò 15. ab Ethnicis Philosophis hanc veritatem agnitam ostendit, sect. verò 2. n. 2. alios Scholasticos pro eâ refert, nu. verò 1. Henricum, Aureolum, & Gregorium citat, quasi dicant, conseruationem esse distinctam à primâ productione. Nullus tamen idem putet eos fauere his Neotericis quos impugnamus; quia illi tres non minorem actionem, sed diuersam à primâ productione requisierunt, quod longè aliud est; & quancumque mutatur causa primò produ-

cens, necessariò habet locum ea doctrina Aureoli, vt bene ipse Suarez num. 9. in 2. conclus. confirmat, & nos paulò antè in Conclusionem nostrâ diximus.

Hanc sententiam Scripturæ & Patrum clarissimis testimoniis probant Suarez & Lessius citati. Sapientia 2. Spiritus Dei omnia continere dicitur. cap. verò 11. *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses: aut quod à te vocatum non esset, conseruaretur?* Ita Paulus ad Hebr. 1. de Filio docet, *Omnia portans verbo virtutis sue.* ad Coloss. 1. *Omnia in ipso constant.*

90 Video hic posse responderi, solum his locis probari, Deum inadæquatè vt minimùm conseruare res, quod non negatur ab aduersariis, adæquatam autem conseruationem omnium non probari, cum certum sit, multa etiam à causis secundis conseruari. Fateor, ita est; verum negari non potest, his ipsis locis valdè clarè probari, non minus pendere à Deo rem vt conseruetur, quàm vt primò sit. Vnde à solo Deo primò producitur, ab eo solo conseruabitur, quod ab aduersariis negatur, qui rebus ipsis inadæquatam se conseruandi virtutem tribuunt.

Venio ad Patres, qui clariùs rem hanc tradiderunt, & loca Scripturæ allata ad idem intentum ponderarunt. Chrysostomus Hom. 2. in Epistolam ad Hebræos, ait: *Non minus est continere mundum, quàm fecisse.* Quid iam hic aduersarij? & ad hoc adfert illud Pauli, *portans omnia, &c.* Imò addit, quodammodo esse aliquid difficilius. Quæ eadem verba habet Ambrosius in eamdem Epistolam Pauli, & Chrysostomus Hom. 3. Idem repetit aliis verbis Anselmus in verba illa, *Omnia in ipso constant.* ait enim, eodem modo à Deo omnia contineri, sicut creata sunt: & hoc ipsum in Monologio c. 12. repetit. Et Augustinus suprà relatus de Genes. ad litteram lib. 4. c. 12. dicit, non contingere respectu Dei sicut respectu artificis, qui fabricatâ domo iam non eam tenet; sed Deum semper continuare productionem, ideoque dictum, *Pater vsque modo operatur.* Ambrosius 7. in Luc. c. 12. id ipsum expressè docet. Omitto alios, qui non ita clarè loquuntur, vt explicari non possint. Nobis præfati sufficiant.

SUBSECTIO TERTIA.

Ratione efficaci vera sententia probatur.

92 **E**T quidem Primò valdè displicent hi Auctores, cum de generali Dei concursu loquuntur: videntur enim ponere concursum vagum, qui de se sit indifferens ad hanc vel illâ creaturam producendam, quod omnino improbabile censeo. Primò, si enim ille concursus est indifferens ad hanc vel illam creaturam, ergo quodd de facto terminetur ad hanc potius quàm ad illam, habebit per alium concursum superadditum; & sic dabitur actio actionis, & tunc primus ille non tam erit actualis concursus, quàm causa à quâ postea oritur proprius concursus; cumque ille (vt aliunde suppono) distinguatur realiter à Deo, Deus non operabitur immediatè, sed per aliquid à se productum. Nec potest dici, eum determinari per actionem ipsius creaturæ; non, inquam, dici potest: nam actio creaturæ non est distincta ab actione Dei, vt suprà probatum est.

& licet distinguatur, adhuc actio Dei debet esse magis determinata ad effectum, quam sit ipsa. Deus causans: nam ea actio, etiam prout sic distincta, est determinatio Dei ad operandum, ergo debet determinate respicere hunc numero effectum. Secundo, is concursus actualis indifferens in eo displicet, quod cum postea non ponatur in conseruatione vllus alius quo determinetur, quomodo poterit per concursum pure indifferentem conseruari res determinata & particularis?

Dicent: Quia ipsa etiam res se conseruat. Sed contra, quia hæc non se conseruat per actionem aliquam ab ipsa manantem, vt expressè hi docent; vbi est ergo actio determinata pro effectu illo determinato? vel cur illa actio, quæ est indifferens ad hominem & Angelum, conseruat magis Angelum quam hominem? non enim ab homine aut ab Angelo aliquid oritur, vnde ea determinatio proueniat. Sed de hoc concursu in actu secundo indifferenti nunc satis, alibi enim ostendi, Dei concursum in actu secundo non minus esse determinatum, quam concursum ipsius creaturæ; solumque ideo dici indifferentem, quia in actu primo Deus suam omnipotentiam parat ad omnes effectus indifferenter.

93 Venio ad proprium punctum huius materiæ, & sic eam sententiam refuto Primò, Omnis causa est prius naturâ suo effectu. Inde probamus, & probant etiam ipsi aduersarij, nihil posse se ipsum primò causare, ergo nihil potest se ipsum nec inadæquatè conseruare. Probo euidenter consequentiam: nam pro eo instanti conseruationis debet res, vt se conseruet vel teneat in suo esse, supponi iam existens; nihil enim præscindens ab existentia operatur physice, aut resistit physice, vt ex terminis notum est: quod si prius naturâ supponitur existens, iam eo ipso prius naturâ supponuntur causæ necessariæ vt res illa existat, nihil enim existit à solâ causâ inadæquatâ; ergo in eo instanti iam est otiosa conseruatio sui ipsius, ergo res non tenet se, ne quidem inadæquatè; ergo debet teneri adæquatè à Deo non minus quam in primo instanti. Hæc ratio non solum conuincit, non posse aliquid se inadæquatè conseruare per veram actionem, quod & hi, quos impugno, fateantur; sed nec per vnam quasi resistantiam vel tenentiam sui line actione distinctâ. Nam vt aliquid in aliquo instanti resistat & se teneat, iam debet existere (nihil enim, vt dixi, non existens resistit physice) ergo prius naturâ iam supponitur conseruatum. Imò ob hanc rationem dixi in materiâ de Angelis, agens de eorum immortalitate, exigentiam Angeli ne destruat, non posse esse ne destruat pro eo instanti pro quo est exigentia; nam tunc iam supponitur existens, & consequenter etiam diuinitus repugnat illum non existere: vnde non potest petere ne destruat in eo instanti, sed necessariò debet id petere pro alijs instantibus sequentibus, petendo scilicet in instanti A. ne destruat in instanti B. Et hoc modo res sunt magis aut minus durantes, prout in primo instanti quo existunt petunt pro pluribus aut paucioribus futuris durare. Hoc autem modo repugnat se conseruare etiam inadæquatè: quia licet hodie ego possim petere à Deo, ne me cras destruat, petitio enim potest esse in futurum; conseruatio tamen, aut in-

fluxus, aut tenentia sui, non potest esse in futurum, sed actio in hoc instanti dat esse pro solo hoc instanti, & ententia effectiua huius instantis non tenet formaliter in crastinum. Vnde vt teneat se in instanti A, debet in eo existere prius naturâ; si autem existit prius naturâ, iam datur adæquata eius causa, & consequenter nō est locus, vt ipse effectus suppleat partem causæ. Neque in hac materiâ alia potest desiderari confirmatio.

Refuto Secundo, quia inexplicabile planè est, 94 in quo ea tenentia consistat: nihil enim reale vel modale à creaturâ ipsâ distinctum, ab eaque promanans assignant, virtualitatem autem quamdam distinctam alibi sæpè reieci fuisse vt planè totius Philosophiæ destructiuam: illa enim tenentia est aliquid, & quod realiter potuit non existere existente creaturâ, vt de facto non existit in primo instanti, ergo est aliquid realiter distinctum ab ipsâ creaturâ; ea enim quæ realiter separantur, realiter & non solum virtualiter distinguuntur, alioquin vnde probabitur, hominē à lapide distinguere plus quam virtualiter? Sed de hoc alibi ex professo, ostendens nulli rei creatæ prædicata contradictoria posse cōuenire ab diuersis formalitates.

Tertiò displicet ea sententia, quia videntur hi 95 Auctores considerare aliquam abyssum, in quam res cadant dum corrumpuntur, conentur autem se tenere ne illuc labantur; alioquin vt quid terminis istis, tenet se ne abeat in nihilum, obsecratur res clara? Rogo enim, Vbi se tenet res, in quo loco, & quomodo? Si enim petit durare, petet etiam vt duret concursu Dei, & sic petendo, se conseruabit remotè, vt paulò antè dixi, proximè verò per eum concursum ei datum ob exigentiam ipsius: neque est necessarium amplius ibi querere ex parte ipsius creaturæ concursum, aut quasi concursum.

Dices: Subtracto diuino concursu mediâ ex 96 parte, deberet aliunde id compensari, ergo res tenet se. Sed contra Primò, quia iam ibi supponis quod deberes probare, scilicet Deum minuire suum concursum, hoc enim tibi negatur.

Deinde rogo, an ille medius concursus sufficiat ad detinendam rem extra causas, an non. Si non, ergo res illa peribit, nec se tenebit, vt si aui abscindatur vna ala. Quod si ille concursus sufficit ad conseruandam rem, ergo non est necessarium emendicare alium à se.

Dices: Ferrum suâ duritie resistit ne ignescat, 97 ergo etiam creaturæ resistant ne destruantur. Respondeo, nec à me nec ab vllò negari resistantiam, aliter tamen explicari quam ab his: ego enim (vt iam tetigi) resistantiam in eo pono, quod res vt conseruetur, petat vel ne intret contrarium, vel vt ei detur concursus adæquatus; hoc tamen non petit pro instanti in quo est petitio, vt dixi supra, quia tunc non potest destrui, sed pro sequentibus. At per hoc non se conseruat, sed petit ab alio conseruari; vnde alter eam conseruans debet non minus ei dare, quam si daret non exoratus. Hoc modo explicata eam resistantiam & conseruationem, erimusque contenti.

Ratione à priori rem totam concludo, supponendo 98 (quod certissimum est, & sæpè dixi) respectu instantis C. v. g. omnino se habere per accidens, præcessisse aut non præcessisse rem in instanti B. vnde supra ostendimus, non sufficere existentiam præcedentem ad operandum de præ-

senti. Ex quo sic argumentor: Per existentiam creaturæ in instanti B, quod pono esse primum, nihil magis additur illi respectu instantis C, quam si non fuisset producta in instanti B: sed si non fuisset producta in instanti B, non posset existere in instanti C, nisi in eo adæquatè acciperet esse à Deo, aut aliâ causâ; ergo licet illud acceperit in instanti B, tamen, ut illud conferret in instanti C, necessarium est in eo illud à Deo accipere adæquatè. Confirmatur, quia si quis manu teneat lapidem in aëre per instans A, non idèò lapis conseruabitur per instans B, ablata manu, quia præcessisset sustentationem illius pro instanti A, (tam per accidens se habet ad instans B, ac si non præcessisset) ergo similiter accepisse creaturam esse à Deo pro instanti A, non sufficit ut existat pro instanti B, nisi etiam in ipso à Deo conseruetur adæquatè.

Alias huius sententiæ impugnationes, quæ fortè possent terminis eludi, omitto, hæc nobis sufficiant.

Hinc infero Primò: Si eadem causâ conseruetur quæ primò produxerunt, eandem durare actionem, non enim est necessarium eas mutare; unde eadem actione Angelus & anima à Deo conseruantur quæ producti sunt: si verò vna causâ mutetur aliâ succedente, vel in vnam totum deuoluatur, eam debere nouo influxu, & quidè ex parte ipsius fortiori concurrere; debet enim esse tam potens ab illâ solâ, quam antea fuerat ab vtraque.

Infero Secundò: Si Deus necessariò inadæquatè influit in primam omnium rerum productionem, de quo Disputatione sequenti, necessariò etiam debere eas saltem inadæquatè conseruare, & hoc ut minimum videtur esse de Fide, ex locis Scripturæ Subsecciónē 2. allatis.

DISPUTATIO DECIMA.

De Causâ primâ efficiente.

SECTIO I.

Datur Causa prima immediatè concurrans cum omnibus causis secundis.

SUBSECTIO PRIMA.

Quedam supponuntur.

PONENDVM ergo Primò est, dari aliquam causam primam, quæ à nullâ aliâ producat, & à quâ omnes accipiant esse. Quod vel inde euidenter suadet, quia cum nihil possit seipsum primò producere, nec duæ res mutuo se inuicem quoad primum esse causare possint, iuxta suprà dicta, necessariò deueniendum est ad aliquam quæ improducta sit, & origo reliquarum; sicut in omni serie rerum necessariò deuenitur ad aliquod primum principium illius ordinis, v.g. in familiis, Religionibus, &c.

Confirmo. Sumo totam collectionem rerum existentium, & rogo, Vel tota hæc collectio producta est, vel non? Si non, ergo aliquid est improductum, quod contendo. Vterius, Vel ab hoc improducto cetera, quæ manent in eâ collectione, oriuntur, vel non. Si oriuntur, teneo iam totum meum intentum, esse vnum Deum improductum, à quo cetera emanant. Si verò ab illo non emanant cetera, iam separo illud ab eâ collectione, & rursus de eâ rogo idem quod de primâ, & debebis mihi deuenire ad vnum improductum à quo cetera proueniant, vel debebis respondere, omnia illa esse producta, quæ erat altera responsio ad meam primam interrogationem. Sed hæc faciliè impugnat: quia si tota collectio est producta, rogo, An ab alio? Si annuas, teneo intentum. An à se ipsis? hoc autem repugnat, quia sequeretur, vel idem esse causam sui ipsius, vel duo se mutuo producere quoad primum esse mediatè vel immediatè, quod om-

nino repugnat. Dicendum ergo est, aliquod ens esse, quod & improductum sit, & à quo cetera incipiant, siue omnia immediatè ab eo siue mediatè fiant: hæc enim est alia quæstio, de quâ postea. Denique veritas hæc passim in Scripturâ continetur, & in Symbolo Nicano, vbi dicitur: *Vnum Deum, factorem celi & terre, visibilibus omnium & invisibilibus*, &c. de quo vix est iam qui dubitare possit, nisi stultus aliquis.

Secundò ex dictis Disputatione præcedenti supponendum est, Deum non solum primò producere creaturas, sed etiam eas conseruare, & quidem tanto influxu & tam determinato, quanto eas primò produxit; sæpè etiam maiori, quando succedit loco alicuius causæ creatæ, quod argumentis generalibus de omni conseruatione Vbi, suprà probatum est.

Posset autem hic dubitari, an hæc conseruatio positiua suadeatur etiam specialiter ex Dei dominio erga creaturas. Video communiter ita sentiri: si enim eas non tenet ipse suo positiuo influxu, quomodo illas poterit annihilare? Arbitror tamen hoc argumentum non esse ad modum efficax; posset enim dici, eas, ut conseruentur, pendere ut à conditione à permissione Dei, idèò Deo nolente illas eo ipso perire.

Sed replicabis: Tam parum videtur tunc Deus posse erga eas creaturas, quam Angelus erga meam animam: quia enim hic eam non conseruat, siue ipse velit siue non, illa durabit. Neque etiam potest Deus, ponendo contrarium aliquod, eas creaturas destruere, tum quia multæ contrariæ carent, tum quia contrarium nō potest poni, nisi quando alterum est corruptibile: sed Deus creaturam non potest destruere, quia illam non conseruat, ergo non potest ponere contrarium.

Faciliè respondeo, sæpè rem aliquam, ut existat, pendere ab aliâ non ut à causâ, sed ut à conditione. Sic non potest ignis primò produci nisi à passo applicato, cum tamen applicatio non influat. Sic amor non potest dari, nisi detur cognitio,